105

# Andreas Cricius episcopus Premisliensis, Petro Tomicio episcopo Cracoviensi regni Poloniæ vicecancellario.

Reverendissime in Christo pater et domine benefactor gratiosissime. Iam maiestas regia mandavit rescribi de impensa danda nuntiis in conventu Sredensi electis, non pluribus videlicet quam sex, iuxta constitutionem Bidgostiensem, habituram tamen maiestatem suam, si quid boni constitutum fuerit, omnium benignam rationem. Auguratur dominus Posnaniensis non exituros illos domo, nisi omnibus impensa detur, et ego ita arbitror. Iam enim edocti sunt ipsam impensam importune et pertinaciter exigere, et maiestas regia sperans aliquid per eos boni constitui, quod nunquam erit, præsertim per hos capitosos, largiri illis frustra consuevit. Dominus Gorski orator scripsit domino thesaurario magnis technis et sicophantiis conventum illum actum, præsidemque propalam omnibus quæ gerebantur contradixisse, et auctoritatem principis et senatus tutatum esse, verumtamen omnia spiritu et scientia sua gesta et contexta fuisse. Commendo me humiliter reverendissimæ dominationi vestræ. Datum Cracoviæ die

Domi:

Dominico, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto. in Decembri